AUGUSTINUS

Klosterneuburg, Ende 12. Jh. Seite 39v

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=416
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

velint omnia, id est quid significent. Horum enim
omnium significationes sicut recordamini
in hodiernum distulimus. Quod dominus invitatus
ad nuptias et excepta mystica significa-
tione confirmare voluit quod ipse fecit.
Futuri enim erant de quibus dixit apostolus prohibentes
nubere et dicentes quod malum essent nuptiae, et
quod diabolus eas fecisset. Cum idem dominus di-
cat in evangelio interrogatus utrum liceat homini
dimittere uxorem suam ex qualibet causa, non licere
nisi causa fornicationis. In qua responsione si
meministis hoc ait: Quod deus coniunxit homo non
separet. Et qui bene eruditi sunt in fide catholi-
ca noverunt quod deus fecerit nuptias, et sicut
coniunctio a deo, ita divortium a diabolo
sit. Sed propterea in causa fornicationis licet uxorem
dimittere, quia ipsa esse uxor prior noluit, quae
fidem coniugalem marito non servavit. Nec illae
quae virginitatem deo voverunt, quamquam amplius
gradum honoris et sanctitatis in ecclesia teneant,
sine nuptiis sunt. Nam et ipsae pertinent ad nup-
tias cum tota ecclesia, in quibus nuptiis sponsus est
Christus. Ac per hoc ergo dominus invitatus venit ad
nuptias, ut coniugalis castitas firmaretur,
et ostenderetur sacramentum nuptiarum, quia et illarum
nuptiarum sponsus personam domini figurabat, cui
dictum est: Servasti vinum bonum usque adhuc.
Bonum enim vinum Christus servavit usque adhuc,
id est evangelium suum. Iam enim incipiamus ipsa
sacramentorum opera retegere, quantum ille donat
in cuius nomine promisimus. Erat prophetia antiquis
temporibus, et a prophetiae dispensatione nulla tempora
cessaverunt. Sed illa prophetia quando in illa Christus non
intelligebatur aqua erat. In aqua enim vinum
quodammodo latet. Docet apostolus quid intelligamus
in ista aqua. Usque ad hodiernum inquit diem
quamdiu legitur Moyses, idipsum velamen super
cor eorum positum est, quod non revelatur, quia in Christo
evacuatur. Et cum transieris inquit ad dominum, au-
feretur velamen. Velamen dicit adopertionem prophe-
tiae, ut non intelligeretur. Tollitur velamen cum tran-
sieris ad dominum. Sic tollitur insipientia
cum transieris ad dominum, et quod aqua erat vinum
tibi fit. Lege libros propheticos non intellecto
Christo, quid tam insipidum et fatuum invenies? Intel-
lige ibi Christum, non solum sapit quod legis, sed et
inebriat mutans mentem a corpore, ut praeteri-
ta obliviscens in ea quae ante sunt extendaris.
Ergo prophetia ab antiquis temporibus ex quo prius
currit ordo nascentium in genere humano
de Christo non tacuit, sed cum occultus ibi erat ad-
huc aqua erat. Unde probamus quod omnibus temporibus superi-
oribus usque ad aetatem qua dominus venit prophetia
de illo non defuit? Ipso dicente. Cum enim re-
surrexisset a mortuis, invenit discipulos
dubitantes de ipso quem secuti erant.
Viderant enim eum mortuum et non speraverunt resur-
recturum, et tota spes eorum concidit. Unde ille
latro laudatur ipso die meruit esse in para-
diso, quia in cruce fixus tunc confessus est Christum
quando de illo discipuli dubitaverunt. Ergo in-
venit eos nutantes et quodammodo arguentes
se ipsos quia in illo redemptionem sperabant.
Dolebant tamen eum sine culpa occisum, quia